DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

VULNERIBUS,

Quam

DIVINA ADNUENTE GRATIA,

Jussu atque Consensu Illustris & Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in inclytâ hâc ad Salam Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI

DN. JOHANNIS THEODORI SCHENCKII, MED. DOCTORIS ATQUE THEORETICES PROFESSORIS PUBLICI CELEBERRIMI,

Dn. Præceptoris, Promotoris, Fautoris ac Hospitis æviternùm colendi,

PRO LICENTIA SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA CONSEQUENDI,

Ad d. Novembr.

in Acroaterio Theologorum,

Horis ante- & pomeridianis,

publico Philiatrorum examini submittit,

ANDREAS THYMIUS

WALTERSHUSA THURINGUS.

JENÆ,

Literis KREBSIANIS.

J. N. D. M. M.

CRœsi filius, cui vocis usuram Natura negaverat, cùm videret militem strictò ense ad Patrem accedere, & jam parùm abesset, quin transfoderet eum, perpetuum rumpens silentium clamavit: Homo ne occide Patrem! & eô die, sicut oraculum Delphicum prædixerat, primùm loquutus est.

Similem ferè sortem, mea non satis apta ad disputandum lingua, mihi monstrat, cujus vinculum necessitas, telum, hodiè liberat, mihiquè humane vitæ miseriam intuenti cum *Plinio*, fideli illo Naturæ Bibliothecario sermonem extorquet: hominem omninò nudum, inermem & ad propulsandos tot affectus inutilem nasci.

Quamvis enim benigna rerum parens Natura corporis nostri compagem contra externorum injurias velamentis membranaceis passim muniverit, intelligendique vim, qua quæ nocitura essent, avertamus nobis concesserit: tamen impetus eorum talis & tantus sæpè esse solet, quo minus ipsis adversetur, quin illa potius invalidô nexu contexta & addensata integumenta quæsunt disrumpant, dividant, partesquè subjectas manifestè lædant.

Inter istas læsiones externas cùm VULNERA præcipuum locum obtineant, frequentissimè accidant, variisquè modis vitæ discrimen afferant: operæ pretium erit, ut in horum Naturam hâc vice, jubente & volente hoc Gratiosissimâ Facultate Medicâ, paulò altius inquiramus.

Ordine itaque ut procedamus, πραγματείας generalem præmittemus, & in illa *definitionem, Causas, Differentias Diagnostica & Prognostica Signa proponemus, Curationemquè subjiciemus.*

Deus ter Optimus Maximus, sine cujus superna luce ir-

remeabilibus labyrinthis mortales animos implicari contingit, ita conatus hosce dirigat, ut in nominis sui laudem cedant, & sempiternam gloriam.

CAPUT I

Nomen Vulneris explanat.

NOmina non solùm Philosophos, sed & Medicos omni ævô sollicitè indagasse, monumenta tàm priscorum, quàm recentiorum abundè testatum faciunt. Nec injuriâ. Ut enim ex Philosophis *Aristotelem* omittamus, (qui tamen distinctione mentisque subtilitate cœlum terramquè penetrasse dicitur) non possumus & nefas putamus illud *Galeni*, Medici inter omnes post *Hippocr.* maximi, dictum omni laude cedroque decorandum, silentii peplo involvere, quod posteritati reliquit *1.meth.medend: c. 5.* Ἐπὶ, inquiens, *πάντων ζητουμένων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνεσθαι τοὔνομα*: *In omnibus de quibus quæritur, ad rationem oportet adsumi ipsum nomen, eô enim sæpius in rei cognitionem provehimur.*

Hujus rei memores, ut præcognitô & prævisô malô, faciliori negotiô possit occurri, dicimus varias esse *vulneris* significationes. Nam aliquando *latissimè* acceptum omnes læsiones denotat, ut est apud *Galen. in comm. lib 2 Hippocr. de Articulis tex. 17.* & in *comment. 3. libr. de iis, quæ fiunt in Medicina t. 30.* & tàm duris quàm mollibus accommodatur partibus solutis, quacunque etiam à causa & quomodo facta sit. Aliquandò *latè* divisiones mollium carnosarumquè partium denotat, ceu patet ex *Galeno 3.m.m.1.* Aliquandò *strictè* cùm vulnus pro carnis incisione absolutè sumitur, ut est *l.c.& lib.de.caus.morb.c.ult.*

Nos cum *Galeno lib. de constit. Artis cap. 6.* in lata significatione vulnus accipimus, intelligentes solutionem continui in partibus mollibus & carnosis cæsim, punctim & contusim factam, quam in duris fracturæ nomine dignari solemus.

Hôc modô acceptum, â divellendo partes nominatur vulnus. Græcè *τραῦμα*, Jonicè *τρῶμα ἀπὸ τοῦ τιτρώσκειν*, quod ab anquo *τραύω* i. e. vulnero derivatur. Ast sunt qui discrimen

inter

inter hæc duo ponunt, illud dicentes denotare vulnus, hæc verò magnam noxam. At & ultimum hoc de vulnere tùm ab *Hipp.* tùm *Galeno* accipitur. Hesychio *συνώνυμα* esse videntur, *τραῦμα, πληγή, ἕλκος, μώλωψ*. Hujus naturam ac genuinam indolem prævia quasi face monstrabit sequens caput.

Caput II.

Definitionem realem ejusque formalem rationem suggerit.

DEfinitur vulnus hôc modô acceptum, quòd sit *solutio unitis partium mollium à re externa tangibili repente & cum impetu incidente, pungente, contundentéque introducta.*

GENUS seu ratio formalis consistit in *λύσει τῆς συνεχείας* i. e. unitatis solutione, aut solutione continuitatis; nec enim refert utrumvis dicas, monitore *Galenô 5. m. m. 2.*

Cæterùm cùm Solutio continui non una sed multiplex sit, DIFFERENTIA SPECIFICA opus est, quam variam adsignant Medici chirurgi.

Addunt enim *Alii*, ut *Avicenna*: *recens in carne, in qua nondum est factum pus*: *Alii*, ut qui *Gvidonem* sequuntur, præter illa *sangvinolentum, sine putredine in partibus mollibus*: *Alii* cum *Galeno 3. m. m. 1. è vulnerando, in parte carnosa introductam*: *Alii*, nec minor recentiorum pars, *à causa externa*: *Alii etiam pus* non omittendum censent, existimantes, ut innuit *Falloppius Tom. 2. lib. 1. c. 1. & 2.* cum morbus hic sit communis tam similaribus quàm dissimilaribus partibus, duoque præterea scopi sint curationis vulnerum, alter agglutinationis, alter carnis impletionis, quod ultimum sine puris productione fieri nequeat: *Alii evidentem* malunt causam poni debere, quam *externam*: *Alii* rem sive materiam violenter & cum impetu, mole, pondere agentem adjiciunt, & ita in definienda vulnerum natura in genere, miris modis variant.

Nobis videntur, salvis tamen doctiorum punctis, servatôque eô rigore, quô vulnus propriè solutio in carne à re externa incidendi, secandi contundendique vim habente facta audit, quæ modò posuimus, pro specifica differentia valere posse.

Cum

Cùm enim, quod ex primipilis, qui in dandâ vulneris definitione genericâ præ aliis sudaverunt, *G. Faloppius l. 2.* & *Cæsar Magatus de rara medicatione vulnerum L. 1. c. 7.* non reticent, plurimæ allatarum differentiarum, non omni vulneri, nec soli nec semper competant; prætereà vocum quarundam acceptio, non æquè uniformis ab omnibus sumta legatur, quales sunt *causa externa, manifesta* &c. tùm etiam, quod quædam horum non sint ἀπὸ τῶν κατὰ τὸν τῆς ὀυσίας λόγον sed τῶν ἑπομένων saltim petita: illud quod omni & soli vulneri semper inest, & quo absente, vulnus dici non meretur, meritò pro propria, veraque differentia, quam specificam vocant, erit agnoscendum.

Quousque autem allatis autorum definitionibus hôc in tertiô, *ut* ita loquamur, sit adstipulandum, quilibet rerum chirurgicarum peritus facilè dispiciet, ut proindè supervacaneum sit, aquam Nilo addere, tædiosâque transcriptione & enarratione diffusâ lectorem benivolum detinere.

Cæterùm refertur VULNUS ad morbos τῆς λύσεως ἑνώσεως sive συνεχείας, unitatis solutæ, & sic ad tertiam morborum essentialium classem, quæ partibus tàm similaribus quàm dissimilaribus, quicquid etiam in hoc novi se invenisse glorietur *Faloppius l. c.* de qua ejus opinione capite sequente agemus, reducitur

Frustrà etiam se torquent, *qui vulnus morbum, non tàm simplicem quàm compositum:* qui non *tàm externum quàm internum:* quiquo tàm *in fieri* quàm *in facto* dicendum esse eum opinantur. Hi enim, aut quæ οἰκεῖα sunt ab ἀλλοτρίοις non separant; aut quæ conjunctim sumi debebant, separant; aut quâ ratione, secundum vel veterum, vel plerorumque Chirurgorum mentem interpretari debebant, omittunt. Undè partim in dicto secundum quid ad dictum simpliciter; partim in divisione & compositione; partim in causâ; partim in accidente & consequentia falluntur, aliosque falli faciunt, Hujusmodi farinæ sunt, qui *Petrum Aponensem Conciliatorem* dictum pro se citant, qui in opere suo de *differentiis, num. 181.* quatuordecim vulnera proponit. Sed satis de his. Nam ut scitè *Hippocrates* loquitur *lib.* περὶ τέχνης. ζητῆται ἐ νοσέων ὀ καλλωπισμὸν, ἀλ-

λα

λα τὸ συμφέρον. Quod & ἐν τῇ περὶ τῶν τραυμάτων θεωρίᾳ ut observetur, & ne ἀχρειοι videamur, lex esto

CAPUT III. DE SUBJECTO.

FOrmali causâ explicatâ pergimus ad materialem, quô nomine communiter SUBJECTUM s. *Pars affecta* insignitur. Hoc duplex pro modo considerandi constituitur, REMOTUM & *Denominationis*, τὰ τοῦ σώματος μέρη, ἴσχοντα καὶ στερεὰ, continentes & solidæ quæ sunt corporis partes: PROXIMUM & ADÆQVATUM quæ ex his μαλακὰ, *molles* audiunt, *duris* oppositæ, ossibus v. gr. cartilaginibus, ungvibus, tametsi & hæ incidi & consequenter vulnerari queunt. Undè placuit primis morborum nomenclatoribus harum partium solutiones distinctis prosequi appellationibus; aut non nisi latâ in significatione vulnerum nomen ipsis accommodare, prout, quod ultimum attingit, videre est apud *Hippocr. lib.* περὶ τῶν ἐν Κεφαλῇ τρωμάτων, & in *com. apud Galen.*

Cùm autem mollium plures sint differentiæ, plurimi *Galenum* imitantes 3. *m. m.* 1. *Subjectum Principale* carnes esse statuunt.

Favet huic opinioni præ cæteris *G. Faloppius*, qui *l. c* decem differentias solutionis proponit, aitque *Galenum* magis consueuisse â partibus affectis differentias desumere quamvis eædem sœpè ab illo confundantur.

Sed ut non una carnis acceptio, dequè mollibus partibus prædicatio est, quædam nim. lata, quædam stricta propriáque, prout ipsi hoc habent *Galenus* ejusque interpretes, quos adducit testimoniis atque rationibus suis DN. PRÆSES *Exercit. Anatomicar*: 3. *sect.* 1. *part. posterior.* c. 27: ita nec *vasa, fibræ, membranæ, ligamenta &c.* excludi poterunt, quæ proinde satius est, dum unà cum carne κατ' ἐξοχὴν dicta ambulant, incidi & vulnerari posse. Dividitur, *inquit Pergamenus lib.* 5. *m. m. c.* 2, pisa tunica, tùm ex vulneratione, tùm contusione, tùm ruptione, tùm erosione. Hinc Chirurgi nostrates idiomate germanicô

Eine

Eine Fleischwunden solutioni accommodant indifferenter omni quæ ossa non tangit, hanc autem proprio nomine Eine BeinWunde appellitant.

Partes hæ sunt tàm *Similares* quàm *dissimilares*, tàm *internæ* tàm *externæ*.

Prius subinnuit iterum *Galenus 5.m.m.2.& libr. de constitut. Artis 6*, docens tàm in similares quàm in instrumentales solutionem hancce, propterea quòd unum quid sint, incidere, cum totæ dividuntur. Tales sunt, *caro, membrana, vena, arteria, nervi, ligamentum, tendo.*

Posterius sensus ipsi suppeditant, cùm tàm internæ quàm externæ, quæ ὁλομελίην partium complent, ex mollibus carneisque hisce consutæ sint.

Contingit itaq; non cutacea modo dari vulnera, sed etiam interna quæ, *viscerum, epatis, ventriculi, uteri, vesicæ, pulmonum, cordis, diaphragmatis, omenti, peritonæi dicuntur.*

Utraque cùm dimensiones suas habeant, fit ut modò in *longum, latum & profundum* vulnerentur, modò secundum *rectitudinem, obliquè, transversim, orbiculariter, falcatim, myrtiformiter, tessulatim, cum vel sine hiatu, superficialiter &c.* secentur. Videatur *Faloppius l. c.* ex mente *Galeni* vulnerum species adducens à *positione* vulneris in parte vulnerata, *situ* ejus &c.

Quod Similares & Dissimilares primò & per se patiantur solutionem continui hanc seu vulnus, cum *Galeno* plerique existimant. Solus *Faloppius* instrumentales primò & per se, similares secundariò & per accidens lædi ex eo præprimis demonstrare nititur, quod sectâ carne, vel aliâ parte similari non statim primò propria ejus actio impediatur, quæ est coquere, excrementa expellere, nutrire, augere &c. Si enim secetur nervus tunc impediri primò ejus actionem propriam, quæ est deferre spiritum ad sensum & motum necessarium: Si arteria, tunc effluere sangvinem. Unitatem itaque solutam per se instrumentalibus partibus, similaribus per accidens & secundariò competere consequentiam esse asserit.

Duo autem sunt, quæ eidem objici possunt 1. quod *Galenus*

nus hæc benè ſciverit, & nihilominus diſtinctum morbi genus unitatem ſolutam, & ut ille loquitur, quod certò reſpectu quintum etiam nominari poſſit, *lib. de conſtit. Art.* adſtruxerit. 2. Quod unum quà unum, non directè prædicetur de ſubſtantia quà inſtrumenti rationem habet, ſed quatenus 1. numerabile, 2. diviſum quid eſt. Hoc autem tàm in ſubſtantiam ſeu corpus ſecundum Medicos ſimilare quàm diſſimilare cadere ſolet. Nec enim quà quid unum eſt & continuum, ſtatim inſtrumentum dici meretur, cum & fracta inſtrumenti rationem habere posſint, ſcil. qua χρέιαν παρέχει, uſum aliquem præſtant. Cum itaque de mente *Galeni* unum eſſe & inſtrumentum eſſe, non ſit unum & idem, unitas autem tàm in corpus ſimilare & ſimplex, quàm disſimilare & compoſitum cadat, morbum unitatis cum ſpeciebus diſtinctum genus eſſe à morbis inſtrumentalium & ſimilarium partium, & nihilominus tamen utrisquè horum ſubjectis iſtos, pari ratione accidere conſequens erit.

Objicis pro illo: attamen verum eſſe, dum ſecatur nervus, manifeſtè lædi ejus conformationem, quod probat actio læſa, quæ eſt ſenſus & motus ablatio, propter ſpiritum animalem, quem deferre amplius non poteſt, vel cum diſcinditur tendo flexoris pollicis, flexio læditur & ceſſat, quæ actio eſt tendinis, quà pars eſt inſtrumentalis, ſalva nutritione, quæ illæſæ intemperiei index eſt.

Verùm reſpondetur, non negari nervo ſciſſo lædi ejus conformationem, quæ ponit membrum inſtrumentale, ſed ſaltem hoc negari, quod unitas ſoluta in ſe & ſimpliciter ſumta ſit morbus inſtrumentalis, cùm ceu antea dictum, unum ſeu continuum quid eſſe, & inſtrumentum eſſe in ſe non ſint ἰσοδυναμοῦντα, ſed reſpectivè tantùm.

Quæſiti, *cur non potius pro ſubjecto partes externas agnoſcamus, cùm hæ ſint principaliter ſubjecta chirurgiæ, Arti manuariæ medicæ, quêis differt â ſubjecto Artis Φαρμακευτικῆς medicæ medicamentariæ, quod partes ſunt internæ,* Reſpondemus, ne loquamur cum vulgo, qui per externas partes & morbos externos, quod oculis tantummodò ſubjicitur & communiter externum vocatur, intelligit, cum propriè Chirurgiæ peritis id

 omne

omne externum dicatur,quod Chirurgicæ hujus artis aliquod remedium, ab extra,manualem ſcil: operationem indicat & admittit,etiamſi ipſi viſui non ſubjiciatur, ſed recondito in loco ſitum ſit,ceu ſunt viſcera & partes internæ,non obſtante quod partes corporis extrenæ præ internis,principaliter & frequentius hoc artis præſidium depoſcant,atque antiquitùs id idem iſtis, vulneratis, ſingulari prærogativa quadā adjudicatum legatur.

Excelſè *Celſus* hoc de negotio loquitur, cum in *Procœmio lib. 7. de Re Medicâ*,ſub finem ferè,ſcribit:*Ipſe huic parti*(Chirurgiam intelligit, tertiam Medicinæ partem, quæ manu curat) *ea reliqui, in quibus vulneribus, ulceribusve plus profici manu, quam medicamento credo.* Ut enim in vulneribus, ulceribus, fracturis & ſimilibus non omnia manu expediri ſolent, ſed etiam medicamentis & diætâ: ita & in internis reliquis, non omnia vel medicamentis, vel victus ratione abſolvuntur, ſed etiam manu opus eſt, ejusque inſtrumentis, juxta id quod ſcribitur ab *Hippoc. 7. aphor. ultimo*: ὅκοσα φάρμακα ἐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται. ὅσα σίδηρος ἐκ ἰῆται,πῦρ ἰῆται. ὅσα τὸ πῦρ ἐκ ἰῆται ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα: *Quæ medicamenta non ſanant, ferrum ſanat; quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat; quæ verò ignis non ſanat, ea inſanabilia reputare oportet.*

Dubitatur à nonnullis 1. *de adipe, 2. de cartilagine, 3. de unguibus*,quod Illum,partem eſſe negent ſolidam : hi verò mediæ naturæ ſint inter molles & duras. Satisfacimus autem huic dubio dicendo ad 1. quod non adeps modò ſed ejus etiam ſubſtantia membranoſa, quâ fulcitur, ſubintelligenda. 2. Cartilagines etiam hùc referri, quæ abſolute tales, non cum adjectione oſſales & quæ locum oſſis ſupplent. 3. Ungues ſecundum quid vulnus ſuſtinere poſſunt. Immò videndum quid uſus vulgò probet. Ab *Hippocrate* vox vulnus ad oſſium etiam ſolutionem extenditur, quatenùs ſectibilia & inciſionem pati poſſunt.

Quæri etiam poteſt: an *vulnera cutis & Epidermidis* uno verbo, *ſuperficialia*, vulnera dicenda ſintnec ne? ratio eſt, quod vulnus ſit mollium carnoſarum affectus, cutis autem non ſit caro

℞. Præter ea, quæ ſuperius de parte molli tradita ſunt, noſſe decet, ſuperficiale non opponi ſolutæ unitati, itàque profunditatis ſaltim differentiam conſtituere.

CAPUT IV.
DE
Cauſis efficientibus Vulnerum.

UT facilior ad curationem pateat aditus, cauſas inquirere neceſſum eſt, Ἀδύνατον γὰρ ἐστιν εὑρεῖν τὴν θεραπείαν, αἰτίαν μὴ διεγνωκότας πρότερον τὴν νοσοποιόν, ait *Alexander Trallianus. Impoſſibile nim. curationem inveniri, niſi morbi effectrix cauſa prius ſit comperta.* Hæc eſt vel *immediata vel mediata.*

EFFICIENS IMMEDIATA â *Galeno libr. de cauſis morborum, capite ultimo* ſtatuitur eſſe ἐξ ἀφνίδιός τις ἢ ἀνώμαλος καὶ σφόδρα κίνησις, i. e. *repentinus quidam ac inæqualis vehemens motus,* Cauſam cauſæ ſubjungit: διασπᾶται καὶ ἐν ταῖς τοιαύταις διαθέσεσι πολλὰ τῶν ἐν αὐταῖς μορίων: *diſtrahuntur enim hujusmodi affectibus plurimùm eorum partes.*

Nos hanc reſtrinximus ad ipſum effectum, quem ſpecialiter producit, externè incidendo, pungendo & contundendo. Hôc modô enim ab ulcere, rupturâ, aliisque ſolutionum continuitatis ſpeciebus, *teſtante id iterum Galeno l. cit.* aptiſſime diſtingvitur. Hæc autem cum multò diſtinctius in rebus ſeu materia incidendi & pungendi vim iſtam habente cognoſci poſſit, maluimus concreto uti, ſicquè quod *Pergamenus* implicitè, hoc explicitè profiteri, & ita cauſam proximam vulneris, *rem* putare *externam omnem, violenter & cum impetu incidendi & pungendi vi præditam*, ita enim utilem in ſignificando, occaſionem, inque curando indicationem præbere poterit. Ubi notandum:

I. per *rem externam* non modò quæ extra corpus noſtrum, ſed etiam quæ in ambitu ejus ſunt, contineri.

II. *Incidentia* quædam *propriè* ita dici, qualia ſunt omnia quæ ſecant, quædam *impropriè*, veluti quæ pungunt, contundunt. Tunc enim dicuntur facere vulnus, quandò incidendo ſolvunt continuum. Undè non eſt de nihilo, quod *Magatus*

 monet,

mōnet, rem incidentem non quavis ſui parte, ſed illâ tantûm, qua acuta & eſt & tenuis vulnerare aptam eſſe.

III. Cum quibusdam placent addendæ voces: *mole, pondere*, noſſe illi debent, has affectionem veluti communem de omni agente reapſe intelligi debere, eo quod inter agens & patiens proportio requiratur. Hæc interdum κατ' ὄγκον, interdùm κτ᾽ δύναμιν agere obſervatur, ſuborto motu iſto vehementi inæquali & repentino, qui aliquandò in re vulnerante ſatis exiguus eſt. Quædam enim acutâ vi attacta non vulnerant; quædam ex his levisſimè admota, ſubitò incidunt. Immò hæ conditiones rei alicujus incidentis vulnus potius quantum, quàm quale efficiunt, dummodò effectum ſuum ritè aſſequatnur,

IIII. Cùm dicitur rem aliquam vehementer & cùm impetu agere, inæqualiter ut ſimul agat, erit neceſſe. Latinè triplex illud *Galeni* requiſitum per τὸ *confertim* efferi ſolet.

V. Motus iſtius violenti principium non ſemper eſt extra partem affectam. Interdum enim à parte vulnerata motus hujus accidit principium. Exemplo ſunt illi, qui improviſò in rem acutam incidunt.

VI. Hinc motus iſte in re vulnerante interdum ſatis eſt evidens, ut cum quis gladio percuſſus vulneratur; interdum non, cum in gladium incidimus aut, in rem quampiam acutam impingimus, ubi immoto, velut à gladio & re acuta, vulneramur.

RES quæ CAUSÆ MEDIATÆ naturam induunt, omnes extra corpus conſtituuntur, quatenus vulnerandi vim habent, ſive illud propriè *ſecando*, *incidendo*, ſive *pungendo* & *perforando*; ſive *contundendo* & *rumpendo* faciant.

HÆ ſunt vel NATURALES vel ARTIFICIALES. *Illas* ita lubet appellare, cum naturâ corpora *acuta, ſecantia, incidentia, pungentia, contundentia ſunt*, ut ſunt lapides acuti, ſpinæ, dentes, ligna: *Has*, cum arte ſ. induſtriâ humanâ ad hos uſus parantur vel adhibentur, ad quos antea ineptæ videbantur, & minus idoneæ, v. g. *cultri, gladii ſecantes, hami, forcipes &c. ſagittæ, tela, globuli, vincula, machinæ omne* genus his uſibus inſerviens, ex quacunque materiâ *vegetabili, animali*.

mali vel *minerali* paratum ſit, ſimplex vel compoſitum, ut ſunt *tormenta bellica, ſclopeta variæ figuræ &* nominis, de quibus apud *Vitruvium* & alios machinarum talium Magiſtros plura

NATURALES iterum dividi ſolent in ANIMATAS & INANIMATAS. *Illarum* numerum ingreditur, *hominis & ferarum, aliorumquè animalium morſus*, ut *avium*, *ſcorpii*, *piſcium*, *ſerpentum &c. Harum* ingens eſt catalogus, omnes tamen ad tres iſtas claſſes ſupra nominatas, tanquam ſumma genera, referuntur.

I. INCIDENTIA. Alonſo duci fortisſimo, ſeptem in capite vulnera inflicta fuere *gladio*.

II. PUNGENTIA, velut ab *haſta* mucronata, Helleparten ſecundum dorſum inter coſtas duo vulnera punctim facta Mauricius Hispanus dux militaris accepit Alonſi comes, teſte *Franciſco Valleriola l.4. obſervat*.

Quidam *ſagitta* vulneratus intra ſtomachum penetrante, notante *Gilberto Anglico*.

Fruſtillum cutelli in terram projectum villicus quidam ſibi, febre ardente laborans, præ nimio dolore & animi impotentia, intra claviculam dextram in pectus valide impegit, quod nec domeſtici nec Chirurgi potuêre eximere, referente *I Camerario in Obſerv. Schenckianis*.

Henricus Rex Gall. felicis memoriæ *lancea* grave vulnus ictu in pectore accepit, adeò ut fruſta lanceæ trunci ſupra dextrum ſupercilium impingerent, ceu ex Hiſtoricis adfert *Bernhardus Suevus in Tract. de vuln. lethal.*

III. CONTUNDENTIA. *Æneo globulo* Masſilienſis ille miles trajecto per medium thoracem, & dorſum contundente, ſauciabatur, apud *Valleriol. in obſerv.*

Mediatæ hæ, pro motus *magnitudine, varietate medii* & *partis vulneratæ* δυσπαθείᾳ, modò *integræ*, modò *diviſæ* & *fractæ* recedunt. Interdum protinus *inflictæ* remanent, ut *globuli, feſtucæ, lardum, pannus, charta*, citra ullum doloris veſtigium, ad menſes, annos, ad mortem etiam usque, veluti; ille apud *Gilbertum Anglicum*, ſagitta vulneratus, quidiu eandem circa ſtomachum penetrantem, citra dolorem circumportavit.

 Quæ

Quæſiti ad quodnam genus cauſarum harum pertineant. I. πληθώρα πρὸς ἀγγεῖα. *ſuccorum abundantia ad vaſa*, cujus meminit *Galenus 3. m. m. c.11*. II. *Aër* qui calidus, frigidus, ſiccus, humidus, tenuis &c. rimas inducit. III. *aqua, nix, glacies*, quæ nemine diffitente, incidunt & vulnerant. IV. *Clamor, Saltus* &c. V. Veſtes, calcei ℞. habere ex his quædam ſe ut medium, quædam verò ut cauſam, proque terminorum poſitione, tàm ad hanc quàm ad illud reduci poſſe. Dum vulnerant, externum quid eſſe debent, propriè vel impropriè tale, ſive ſolidum quid ſint, ſive humidum, ſpirituoſum.

Intereà à potiori, ſolido nimirum ſolideſcenteve fit denominatio. Ut *Hippocrates* omnia melancholicorum deliria ſub metu & triſtitiâ comprehendit ita & nos omnes in univerſum res: vulnerantes ſub incidentibus, pungentibus & contundentibus reconditas ſervamus.

CAPUT V.
DE
Differentiis Vulnerum,

DIFFERENTIAS VULNERUM tùm ad πρόγνωσιν, tùm θεραπείαν utiles eſſe, nemo eſt, qui ibit inficias

Petuntur vel à *Subjectis* vel *Adjunctis* I. Ratione GENERIS, vulnus aliud eſt ſimplex, aliud compoſitum, cum intemperie cum vel ſine materia, cum morbo conformationis, tumore; inflammatione, cum vel ſine deperditione ſubſtantiæ, ulcere, fractura &c.

II. Ratione SUBJECTI, vulnera alia ſunt in partibus *externis*, alia *internis*. Alia in SIMILARIBUS, ut cute, membranâ, *carne, venâ, arteriâ, nervo, tendine, ligamento, fibris*; alia in DISSIMILARIBUS, & vel principalibus, *cerebro, corde, epate*, vel *iisdem inſervientibus, pulmone, diaphragmate, aſperâ arteriâ, oeſophago, lingua, renibus, veſicâ, inteſtinis, meſenterio, pancreate, omento, utero*, vel *minus principalibus, oculo, aure, naſo, manu, pede, dorſo, ſcroto &c.*

III. Ratione CAUSÆ, totuplices ſunt, quotuplices cauſæ eſſe ſolent, vel â re incidente vel pungente, vel incidente, gla-

dio, telo, lapide, morſu ferarum, hominis. Quo & medium ſpectat, curſus, ſaltus, equitatio &c.

IV. Ratione eorum quæ eſſentiam inſequuntur, tùm magnitudinis tùm motus, v. g. aliud eſt parvum, magnum; aliud profundum, aliud ſuperficiale, per transverſum, per longitudinem inflictum, æquale, inæquale, lunare, rotundum, anguloſum, apertum, clauſum, grave recens, inveteratum.

V. Ratione qui eisdem accidit, moris maligni vel benigni. Ita aliud eſt venenatum, aliud non, cruentum, fœtidum, purulentum, ſiccum, lividum, nigrum, gangrænoſum, vermibus, ſcatens; cum dolore, humidum, cacochymicum; cum delirio, convulſione, ichore; aliud periculoſum, aliud ſalubre, aliud per ſe ἐξ ἀνάγκης, lethale aliud ὡς ἐπὶ τὸ πολυ, aliud κατὰ συμβεβηκότα.

CAPUT VI
DE
Signis Diagnosticis.

Licet VULNUS in ſe ſpectatum, aut punctura aut inciſio, ſectio aut contuſio ſit, plerumque ſenſibus ſe manifeſtet: quia tamen, ceu diximus, externæ partes, & quas molles vocamus, non uno loco ſitæ, variæ præthereà, aque cauſis variis variàm ſolvantur, ſignorum doctrinâ opus eſt exquiſitiori, ut benè cognitis diſtinctisque omnibus his, vulnerum ſpecies rectè dignoſcamus, utiles ad curandum indicationes indè petamus, remediaque propria ſingulis ritè & convenienter adhibeamus

I. Ratione GENERIS ſeu FORMÆ. Inciſio ſeu ſectio erit, cùm diviſa ſpectatur pars, τομὴ Græcis. Qui adcuratè loqui amant, diviſionem per longitudinem inciſionem: per transverſum autem factam ſeparationem nominant.

Punctio, cùm non diviſa tantum, quantum perforata pars viſitur, & ita modo tantum à priori differt, facta nimirum à re acutâ incidente tenui, νύγμα, νύξις appellata.

Contuſio, cum à re mole, pondere incidente aut, ſecante non tenui tamen ſimpliciter & acutâ, ubi pars vulnerata quaſi diſrupta videtur, nomen ſingulare θλάσμα à Græcis obtinens; quale vulnus in membris contuſis, in zerquetzſchten Gliedern occurrit.

Ma-

Magnum & *parvum* res ipsa docet. *Profunditas* stylo explorari solet. *Recens*, *inveteratum*, labia vulneris cruenta, fœda purulenta designabunt.

Figura æqualitas & inæqualitas in oculos incurrunt. *Compositum* ex simplicium signis collectis claret.

Si adsit *fractura*, motus membri deficiet: si *febris*, cognoscitur illud ex calore in toto corpore præsente p. n.

Mores symptomatum levitate vel gravitate, virium lapsu parvo vel magno dimetimur. Scilicet si nimiâ hæmorrhagiâ, dolore, febre, convulsione, vomitu vexetur, syncope adsit, æger; cum livescit, fœtet, purulentum, callosum, fistulosum, vermicosum evadit, cum ulterius serpit, gangrænosum redditur, vulnus particulæ vulneratæ excidunt, ut in illis à venenatis machinis introductis.

II. Ratione SUBJECTI, cujus ad curationem necessaria cognitio est, docente *Galeno 1. loc. affect. c. 1.* signa suggerunt 1. ACTIONES LÆSÆ. 2. EXCRETA. 3. SITUS.

An in capite, thorace, ventre infimo; an in artubus, hâc vel illâ parte, an superficiale, an internum & abditum signis deò opus non habet.

Scire autem velle, quænam pars specialiter ex his sit affecta, non cuivis primâ statim fronte innotescit.

Itaque ubi pars vulnerata, *sensu prædita* est, dolor, ut in *cutaceis*, & *membranosis*, vel ἀναισθησία: cum *musculus*, motus læsionem indicat vitiatus: cum *nervus*, convulsio apparebit motus & dolor punctorius: Si *tendo*, ejus actio, prout vel punctus, vel dissectus, contusus, in flectendo, extendendo, abducendo, adducendò, sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, ad latera &c: vulnus prodet, abolita, diminuta, depravata; aliquandò cum febre, convulsione, vigiliis, delirio &c. Si *Arteria*, sangvis, & quidem ratione *modi exeundi* cum saltu floridus prosiliet & difficulter sisti poterit: Si *vena* eaque *magna* copiosè & confertim sangvis effluet, ex vulnere, quem syncope comitabitur. Si *cerebrum* graviter vulneratum, pro intensione affectus, stupor mentis succedet, deliria, convulsiones, vomitus æruginosi, vertigines, tinnitus aurium, caligo

succe-

ſuccedent;de cerebri ſubſtantiâ portio vel apparebit, vel ſeparata exibit.

Si *cor*, ſyncope & ἀσφυξία citius fortiusque ſe manifeſtabunt, mors brevi ſequetur.

Si *Pulmo*, difficilior erit reſpiratio, cùm dolore, tuſſi, cruenta rejicientur.

Si *Ventriculus*, chylus unâ effluet.

Si *Inteſtina*, ſtercora ſimul. Si *veſica*, urinæ ſequetur ſuppreſſio, abdomen ſenſim intumeſcet.

Si *Omentum*, viſuiſe hoc peritonæo diſciſſo, exponet.

Si *Diaphragma*, reſpiratio diminuetur; dolor aderit pungitivus, cordis anxietas, vulnus erit maximè circa finem vertebrarum dorſalium & coſtas veras.

Si *Epar*, læſiones evidentiores in dextro: ſi *lien* in ſiniſtro deprehendentur.

Benè, tamen monent *Faloppius. Magatus. Aqua pendens Marchettus & alii*, hæc penitiùs in vulneribus abditis obſervanda eſſe, cùm nec manus Chirurgi nec ipſe patiens hæc ſignificare poſſit, niſi pariter conſtet ex ſitu & aliis ſignis, utrum vel cor, vel pulmones ſimul aut ſeparatim hâc vel illâ parte &c. læſa ſint nec ne. Nec *ſitum* ſaltim *ordinarium*, ſed & *extraordinarium*, cùm ventriculus poſt cibum tumidior deſcendat, inteſtina in flectendo, ſedendo, inſtando, currendo, ſitum nonnihil mutent, & hinc in vulneribus non æqualiter ſaucientur, ceu hoc diligenter inculcat *Adrianus Spigelius de Fabric. corporis human: lib. 8. c. 8.*

III. Ratione CAUSÆ MEDIATÆ, comparatio debet inſtitui cùm re vulnerante, an lapis, lignum, ferrum ſecans, pungens, contundens, dentatum, angulosum, latum, acutum fuerit: An integrum aut fractum vulneraverit: cùm hoc vel illo medio, pro cujus varietate, ſæpè res contundens vulnus ſimile in figura vulneris à gladio inducit, globulus allidens perforando unà ſecat, rumpit. Sæpè à gladio vulnus punctim factum, ignorant Chirurgi, utrum gladius iſte ſectorius an punctorius fuerit, cùm fieri poſſit, ut dum punctorius attactus inordinatè iterum extrahitur, vulnus amplietur, ut hoc aliquibus hiſtoriis confirmavit *Excell. Dominus Præſes* in *Prælectionibus Chirurgicis* Publicis.

CAPUT VII.
DE
Signis Vulnerum Prognosticis.

UT autem vulnera dignoscere promptum: sic de iis certum ferre judicium perdifficile est. Propterea alio adhuc genere signorum opus habemus, per quæ futurum morbi statum exploremus, non modò ut sanabilium vulnerum curationem suscipere, brevemque eam aut facilem, longamve vel difficilem fore, prædicemus, sed etiam, ut à *Magistratu* de illatorum vulnerum lethalitate jussi sententiam dare, rectè respondeamus, ne innocens condemnetur, & reus aut protinus absolvatur, aut miti saltim pœnâ plectatur.

Hæc vocantur PROGNOSTICA, & versantur 1. circa prædictionem SALUTIS & MORTIS, 2. vulneris LONGITUDINEM & BREVITATEM 3. modum EVENTUS.

I. Signa SALUTIS & MORTIS alia sunt 1. ratione GENERIS. Periculosius est vulnus quo 1. magis à statu naturali recessit 2. in parte est ad vitam vel principe vel necessariâ, in internâ potius quàm externâ. 3. cum gravi symptomate conjunctum, 4. cùm aliis compositum; 5. cùm vel sine deperditione substantiæ 6. admodum profundum. 7. abditum, cùm virium imbecillitate. 8. magnum pejus est parvo absolutè loquendo. Magna verò tripliciter dicuntur 1. διὰ τὸ κύριον τοῦ πεπονθότος μέρους, ob *affectæ partis præstantiam*, quando vulnus partem nobilem afficit, ut COR, *cerebrum*, *hepar*, de quò vera est sententia *Hippocr. 6. aphor. 18.* cum ait: κύστιν διακοπέντι ἢ ἐγκέφαλον ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην ἢ ἧπαρ θανατῶδες: *Pertusa perfectavè vesica, cerebro, corde septo transverso, tenui quopiam intestino, ventriculo, jecore lethale est.*

Parvum tamen vulnus ratione partis affectæ, etiam magnum haberi potest. Hinc respectu omnium, vulnus magnum periculosissimum censendum erit.

II. *Διὰ τὸ μέγεθος διαθέσεως, ob affectus magnitudinem & facultatis dignitatem*, de quo intelligendus *Aphor. 66. s. 5.* ἢν τραυμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων καὶ πονηρῶν οἰδήματα μὴ φαίνηται, μέγα.

μέγα κακόν. Si magnis vulneribus & pravis tumor non appareat ingens malum. Nam tàm magnitudo, quàm malitia vulneris motum ſangvinis turbare, & tumori per defluxum, ſeu inflammationi occaſionem præbere poteſt. Igitur ſi magnum & malum vulnus fuerit,& tamen tumores non ſuperveniant,admodum præter rationem eſt, quare non pernitioſum. Cui gemina eſt mens *Celſi l.5.c.26. de Re Medicâ, qui* nimis intumeſcere periculoſum, nihil intumeſcere periculoſisſimum pronunciat. *Illud* indicium magnæ inflammationis; *hoc* emortui corporis aſſerens.

Pari ratione profuſio ſangvinis nigri lethale periculum minatur teſte *4.aphor.23.ὁκόσοισιν ἐκ τρωμάτων ἢ ἄλλως τῶς λεπτυνομένοισι χολὴ μέλαινα, ἢ ὁκοῖον αἷμα μέλαν ὑπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι. Quibus per vulnera, aut alium modum extenuatis atra bilis, aut velut ſangvis niger ſubierit, poſtridiè moriuntur.*

III. *Διὰ τὴν κακοήθειαν, ob malignum morem.* Scilicet cum malignitatem contrahunt, ſævis immanibusque ſymptomatibus præter ſolitum, gliſcunt; quâ ratione ex accidente parvum magnum dici poterit. Ita cum vulnera cutacea febrem & inflammationem, convulſionem & gangrænam conjunctam habent maligna evadunt.

Aliquandò vitio aeris & conſtitutionis ſiderum infauſtæ maligna evadunt,veluti ante triginta circiter annos hoc in tractu Jenenſi accidit,ubi vel levisſima vulnera lethalia evaſerunt. Aliquandò ob peculiarem humorum diſpoſitionem putredinoſam. Interdum ob errorem in curatione commiſſum, ex parte tùm Chirurgi,tùm Medici,tùm ægroti,tùm adſtantium,tùm materiæ præſidiorum.

Undè cum nulla regula ſit tàm firma, quin patiatur exceptionem: Medici diſtinxerunt vulnera in ea, quæ per ſe lethalia,& quæ per accidens. *Illud* vocant, quo factô neceſſariò & plerumque mors ſequitur, ſeu in momento, ſeu brevi poſt,veluti cordis ſiniſtri ventriculi,diſciſſio aſperæ arteriæ,vaſorum majorum ventriculi, hepatis,cum *διακοπάς*, magnas vulnerationes acceperunt: *Hoc*, quo factô, nec ſubitò nec brevi poſt mors ſequitur,& ſi ſequitur,tamen non primaria ratione, ſed ſecundaria

 accidit,

cidit, quô nomine vulnera tertio modô magna ex accidente judicantur lethalia, per se autem primo & secundo.

Objicienti: quod *teste Galeno*, & cotidianâ experientiâ, vulnera cordis, hepatis, ventriculi, intestinorum non semper observentur lethalia, *respondemus*: 1. sufficere plerumque, 2. magnas vulnerationes partium principum semper esse lethales, maximè si vehementia causæ vulnerantis & medii præcesserit.

Cum autem, ceu ex jam dictis liquet, utriusque modi non una consideratio sit, fiatque aliquandò ut coincidant ambo & confundantur, non miramur difficultates in pronunciando oboriri, atque dissensus plures, maximè ubi, qui vulneris inspectioni præfuerunt, dequevulneris statu testari debuerunt, perfunctoriè omnia peragunt, nec singula sufficienter expendunt, effectumque cum causis suis conferre sciunt; aut nudâ conjecturâ feruntur, sicubi non licuit vel suâ vel aliorum culpâ hoc propriis experiri sensibus, id quod gratum causæ Patronis ferculum deinceps existit.

II. ratione SUBJECTI, pars vulnerata firma & solida, fibrisque composita carneis, ut *musculus*, ob paucitatem sangvinis erumpentis & abundantiam succi glutinosi, celerius sanatur, quam *mollis & quasi* sangvine concreta, ut *viscera* aut *membranacea fibris nervosis contexta*, ob abundantiam sangvinis & spiritus effluentis, purisque productionem, curationem impedientis, & paupertatem succi viscidi. *Vulnera superficialia*, quæ in conspectu sunt, & quibus medicamenta applicari possunt, celerius glutinantur quàm profunda, aut penetrantia, aut interiora, ad quæ manus medica pervenire nequit.

Membranosa difficilioris sunt sanationis, si credimus *Galeni* exemplo.

Nervorum & *tendinum* propter inflammationis & convulsionis metum vulnera periculosiora esse putantur.

Cutis, & pingvedo, vulneratæ minus periculi habent.

Inter *instrumentales minus principes* vulneratæ sua natura à metu mortis longius abesse observantur.

Cor inter principes proximum solutiones magnas diu non sustinet.

De

De reliquis plerumque vera est Celsi *lib. 5. de Re Medic. c. 2.* prædictio; *Servari non potest, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui jecinoris portæ, cui in spina medulla percussa, cuique aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius intestinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati sunt. Cum circa fauces grandes venæ & arteriæ præcisæ sunt. Difficilem porrò curationem habent, vixque ad curationem pervenerunt, quibus ullâ parte pulmo, aut jecinoris crassum, aut membrana, quæ continet cerebrum, aut lienis, aut vulvæ, aut vesicæ, aut ullum intestinum transversum sectum.*

Hi quoque in præcipiti sunt, in quibus usque ad grandes intusque conditas venas in alis vel poplitibus mucro descendit.

Periculosum vulnus, ubicunque venæ majores sunt, quia excernere sangvinem possunt, quod etiam de *venis* ad *anum* & *testiculos* intelligendum.

Malum est vulnus in locis inanibus, ut in *articulis* vel inter digitos.

Permagna, periculosa: Maxima, periculosissima dicuntur.

An fellis vulnera statim lethalia fiant ipso hepate vulnerato, *Helmontius* quæsitus *Tract. sextuplex digestio Alimenti* respondebit affirmando, adductâ ratione quod fel plus sit, quàm bilis. Nos tamen neque hoc discrimen admittimus, neque lethalitatis ipsius subitaneæ ob læsam vesiculam, historiam fide dignam aliquam allatam vidimus. Ideoque pari passu cum hepate vulnerato ambulare ejus vulnera existimamus.

III. Ratione CAUSÆ pejora sunt in *dispositionibus* senilibus, tenellis, & cacochymicorum corporum, ab *instrumento* contundente, obtuso, aut venenato inflicta. Difficilioris curationis, à re collidente. Meliora quæ ab instrumento acuto secante quàm à pungente, rubigine aut veneno infecto Serrata, in quibus pars disecta est, pars una semi avulsa dependet, in malis habenda; pessima à re in orbem exscindente facta.

A sagittâ, plerumque difficilem gravioremque curam præsagiunt. Periculosissima, quæ majori cum vi inflicta, uti à globulis, mediantibus sclopetis & tormentis bellicis, lignis, aliisque ejusmodi, à validis lacertis, casu forti, lapsu ab alto, pondere rei delabentis &c. adactis.

IV. Ratione SYMPTOMATUM. Facilè curantur, si mente ægri constant, benè dormiunt, si pulsus & respiratio & actiones naturales se benè habent. Difficulter, si cum erisipelate, gangrænâ, pruritu, paralysi, oedemate, duritie, livore, arid tate, hydarthro seu meliceria.

II. LONGITUDINIS ET BREVITATIS. Simplex vulnus citius; cavum tardius, compositum tardissimè, περιφερῆ βραδύτερον ὑγιάζεται; orbicularia tardius sanantur. Magnitudo vulneris ob partis præstantiam longam ad salutem: ob facultatem & κακοήθειαν, citam ad mortem terminationem pollicetur. A contundēte tardior est sanatio, scribit *Joh Vigerius lib 2. Chirurg.* quia antequam unio fit, suppuratio & detersio advocanda, quæ longiori tempore opus habent.

Particulares etiam notæ sunt attendendæ, quarum una *Celsi est*: Si ex vulnere bonus exeat succus, optimus, calidus, rubens, glutinosus, qui expeditam curationem monstrat.

III. MODUM EVENTUS prædicunt ad SALUTEM, vel simpliciter sine noxa, vel cum aliqua infirmitate. Vulnus *nervorum* claudos solet relinquere quædam:

Tendinum meliceriam sive ichorem serosum minatur. Ad MORTEM etiam vel *subitò* hæmorrhagiâ immodicâ, convulsionibus, & per ἐπιγένεσιν gangrænâ, vel *sensim* phthisi, claudicatione, sensuum abolitione diminutioneque, in ulcus, fistulam, callum conversione; in partium deformem figuram, positum &c.

CAPUT IIX.

DE

CURATIONE EJUSQUE METHODO.

CUratio absolvitur *Methodo medendi*. Hæc *utiles* suggerit *indicationes* & *auxilia* seu instrumenta medica, eorundemque *materiam* subministrat.

INDICATIONES à *rebus* vel *præter* vel *secundum naturam* desumuntur.

Prioris

Prioris ordinis *altera Curatoria*, *altera Præservatoria*: *Posterioris* verò *Vitalis* appellatur.

CURATORIA, vulnus ipſum ſpectat, ut ſi ſimplex illud, uniatur; ſi verò compoſitum cum deperditione ſubſtantiæ, etiam præter unionem illa reparetur; vel ſi copulatum cum alio morbo, v. g. febre, fracturâ, ulcere &c. ut conſimiliter per propria indicata contraria tollatur, juxta præſcriptum *Galeni 8. m. m. 7.*

UNIO hæc ſecundum receptam *Galeni* mentem fit *cum* vel *ſine* medio: *illam* vocant κόλλησιν κτ̀ τὸν πρῶτον σκοπὸν: *hanc* κτ̀ δεύτερον σκοπὸν, intentionem ſecundam. *Prior* ſpectatur in vulneribus, quæ mutuô contactu ſangvinis adducuntur & carne obducuntur, quàmvis ſi adcuratè velis loqui, omninò fiat cum medio, quod reſpectu alterius, ὁμογενὲς dici jure poteſt. *Poſterior* in *vulneribus*, quæ mutuô contactu labiorum conjungi non poſſunt, ſed beneficio calli in medio orti adducuntur, cicatriceque obfirmantur, occurrit, quod illius reſpectu, δευτερογενὲς dicitur.

UNIONIS UTRIUSQUE cauſa principalis etſi calor *naturalis* exiſtit, qui tàm ſangvinem quàm gluten producit: Medicum tamen, tanquàm miniſtrum una depoſcit, ut ſubordinatis indicationibus ſatisfaciat.

Harum quædam ambabus ſunt *communes*, quædam *propriæ*, tantum quas adducit *Galenus Lib. de Artis conſtit. c. 90.*

Communes judicantur eſſe *1. Digeſtio* ſeu *maturatio 2. Mundificatio 3. incarnatio 4. cicatriſatio.*

Propriarum *Intentionis primæ*. *1. Labiorum* ad mutuum contactum adductio, 2. adductorum conſervatio 3. ne quid labiis intercidat cautio. 4. ipſius ſubſtantiæ partis conſervatio, quibus addi poſſunt ἀλεξι[illegible] & quæ ambuſtis medentur, applicatio.

Intentionis ſecundæ calli inductio, fitque cùm regeratione carnis per nutritionem.

Excrementum quod hic occurrit cenſetur duplex, *tenue* ſeu ἰχὼρ, *2. craſſum*, quod *pus* vocant: *illud* exſiccandum & abſumendum; *hoc* attenuandum & abſtergendum.

Cæſar

Cæsar Magatus, Professor quondam Gymnasii Ferrariensis celeberrimus, *de rarâ medicatione vulnerum, lib. 1. & 2.* uno medicamento vulnus curari posse prolixè ostendit, dum modò bonum integumentum, quo calor foveatur, adhibeatur, deligatum vulnus per 3. aut 4. dies tectum detineatur, nisi vel sutura apertionem urgeat, vel hæmorrhagia eandem imperet. Hinc præter fila carpta, emplastrum vitale descripsit *L. 1. c. 121.* Balsamum Peruvianum & alia commendat, à cujus tamen methodo, pluribus difficultatibus immersâ, experientiaque sufficienti destituta, cordatiores abstinendum esse censent, aut non nisi in hoc vel illo vulnere, individuo, tempore, regione &c. administrandam.

Consimiliter de *curatione vulnerum Magnetica* regula non est κτ̓ παντὸς, ut pote eventui ubique uniformi effectu non respondens, quàm, ceu particularem, tamen commendatione dignam suspicamur. Legatur de hac præter *Paracelsum, Crollius, Helmontius*, qui exoticam qualitatem, quæ simul cum vulnere existit, ab unguento armario attrahi opinatur *Tract. de cur. magnet. & Theatrum Sympatheticum à Laurentio Strausio* editum, tùm quid de rerum antipathiâ & sympathiâ *Rattray* publicæ luci pronuper obtulerit.

PRÆSERVATORIAM ex *4. m. m.* 3. cum *Galeno* plerique ideò rejiciunt, quod utiles indicationes ab ea non desumantur. Verùm cum simpliciter verum hoc non sit, & Medicus non solùm removeat id in vulneribus, quod impedit sanationem, verùm etiam respiciat ad id quod urget, hoc autem sint symptomata: illam cùm *Petro Marchetto, Anatomico & Chirurgo Professore Patavino celeberrimo*, quadantenus retinebimus.

Hæc jubet, si sangvis nimium fluat, sistatur: Si concretus & vulnus inundet, modestè gossypio aut spongia molli humida abstergatur: Si fragmenta vitri, telorum, aliorumque instrumentorum vulnerantium, arenulæ, frustula ossis, globuli plumbei, inflicta remanserint, ut extrahantur, pro quorum extrahendorum diversitate, vel digitis vel volsella, vel hamulo vel forcipibus, vel terebello, canulisque oblongis à *Fabric. Hildan. cent. 1. observat. 88.* depictis, utimur, quo in loco com-

pendiosa

facilisque adſcripta eſt extractio, nec cum maximo ægri periculo, famæque Chirurgi jacturâ minimè conjuncta: Operatio non tantùm impulſione extranei eâ viâ quâ tendit, quam retractione, eâ ſcilicet, quâ venit, perficienda.

Si pus adſit, abſtergatur: ſi crudum alimentum, coquatur: ſi craſſum, attenuetur: ſi dolor, demulceatur; ſi ſitis, vigiliæ, compeſcantur, tollanturque per humectantia & ὑπνωτικά: Si adſint humores cacochymici, alterandi, & evacuandi erunt. Si ſangvis peccet motu, ſiſtendus & intercipiendus: Si quantitate deplendus: Si ſuperfluum aliquid ſolidum, quod impediat unionem, abſcindendum, removendumque: Si venenatum ſit, per alexipharmaca debelletur.

VITALIS viribus tùm totius tum partis languentibus reficiendis, firmis verò conſervandis per commodam victus rationem ſuccurrit, quæ maximâ parte ad ſiccitatem devergit.

MATERIA præſidiorum ex fontibus uſitatis CHIRURGICO, PHARMACEUTICO, & DIÆTETICO deſumitur.

CAPUT IX

PRÆSIDIORUM CHIRURGICORUM materiam proponit.

VENÆ SECTIONEM in omni vulnere magno commendavit *Galenus 4. meth. med. c. 6.* ad inflammationis periculum arcendum.

TEMPUS adminiſtrationis principium plerumque eſt. Poteſt tamen ſub aliis quoque temporibus, ſi urgens adſit ſymptoma, inſtitui.

LOCUS eſt è diametro oppoſitus, vel in longum vel latum, pes, brachium, dextrum vel ſiniſtrum.

VENA, ſi totum deplendum, ſecanda *baſilica*, aut, pro ratione vulneris, *cephalica* aut *mediana, ſalvatella, ſaphena* &c.

CUCURBITULÆ SCARIFICATÆ vicariam operam in delicatis & debilioribus ſuſtinent, dummodò profunda inſtituatur ſectio. Utimur etiam iisdem in extrahendis venenis, parti ſauciatæ applicandis. SICCÆ motum humorum avertunt & intercipiunt, partibus mandantibus vel remotioribus affixæ.

 FRI-

FRICTIONES & LIGATURÆ, humorum adfluxum respicientes, tam in sanis quam affectis partibus institui debent.

SCOPIS PARTICULARIBUS satisfaciunt materiæ, quæ simplicium vulnerum labia conjungunt,& conjunctas partes conservant, ne iterum sejungantur, sed coalescant. *Illud* manum Chirurgi expeditam requirit: Hoc præter manum fit tribus præsidiis à *Galeno 3. meth. med. c. 6.* recensitis, nempè *vinculo, Suturâ, Fibulâ*. Recentiores addiderunt *Gluten*, & aliud elegans præsidium, *Splenia* ex emplastro attractivo facta.

Per VINCULUM intelligit *Galenus* ἐπίδεσιν deligationem, non retentivam, nec expulsivam, sed *incarnativam* Barbaris dictam. Hæc consistit in commodâ circa membrum læsum curandumque circumductione.

Varia est pro diversitate partiũ deligandarũ, quæ longitudine, latitudine,& figurâ differunt, ut videre est apud *Galen. de Fasciis*.

Fasciæ hodiè parantur ex panno lineo veteri non nimis detrito, leni & mundo, secundum staminis longitudinem dissecto. Ita vinciendo humero adhibemus fascias latitudinis sex digitorum, cruribus quatuor, brachiis trium &c. Præterea nitida, firma, lenis, tenuis, mollis, æqualis, sine rugis & eminentiis, convenienter lata esse debet.

Hâc in operatione *Hippoc. 2. de med. officinâ*: quatuor requirit, *celeritatem*, *jucunditatem*, *promptitudinem* seu dexteritatem & *elegantiam*.

Vinculi sive deligationis per fasciam incarnativam, unitivam seu agglutinativam, catagmaticam, usus in vulnere simplici cæsim & per longitudinem facto, crebrior existit. In reliquis ut & compositis deligatio per fasciam *attractivam, retentivam* & *expulsivam* unà locum habet, prout vel atrophiâ, vel affluxu humorum puris sordiumque expulsione, vel agglutinatione fortiori opus est. Huc pertinent *contentiva* & *suspensiva*, ad apparatum totius sustinendum, tùm ipsam partem vulneratam.

Ραφή, SUTURA seu fili nexus inspecie, quæ à *Guidone contusio per puncta* vocatur, *incarnativa, partim conservativa*, (quæ enim *repressiva* appellatur, sangvinis suppressioni studens,

vasis.

vaſis debetur) locum habet, ubi faſciatio ad labia adducta exactè continenda & conſervanda non ſufficit, ut in vulneribus longis & tranſverſis, tunc ſuturam adhibemus.

MATERIA eſt acus ferrea, & filum lineum vel ſericum craſſius,

MODUS rectæ adminiſtrationis conſiſtit in celeri trajectione, & juſto intervallo, & filo in nodum finito. Sit æqualis, polita, minorique cum moleſtiâ quæ ſubeat.

Antequàm autem fiat *ſutura*, ſangvis concretus eſt detergendus vino nigro auſtero, ne ſangvis putreſcat, & inflammationem excitet, ac glutinationem impediat.

Si verò accidat, ut licet abluatur vulnus, nihilominus tamen aliquid ſangvinis profundatur, non differatur ſututa in aliud tempus, niſi inſignis ſangvinis profuſio adſit, quum iſte ſanguis, qui profluit, à natura exiguo temporis ſpatio, propellatur. Verum tamen manet, non ita citò curari vulnus, ſi aliquid ſangvinis profundatur, quam ſi nihil.

Ut omnibus numeris tamen bona fiat inſtituaturque ſutura, ſcire expedit *Primò*, quænam acus ſit eligenda. *Secundò* quodnam filum. *Tertiò* quantum ſpatium intercedere debeat inter puncta. *Quartò* modus ſuendi, ſeu in qua parte incipere & quomodo progredi oporteat. *Quintò* quàm profundæ debeant eſſe ſuturæ. *Sextò* quamdiu ſuturæ in vulnere ſint conſervandæ.

Quod *primum* attinet *Acus* debet eſſe longa, præpolita, cuſpide triangulari, & caudâ excavatâ. prædita, 2. *Filum* eſto ex lino, ſericum enim improbatur, quia experientiâ comprobatum, filum ſericum brevi tempore labia conſuta abrumpere & diſſecare propter naturam ipſius ſerici, quod habet fila tenuiſſima, & quæ facile abrumpuntur. 3. *ſpacium intercedens*, ſecundum *Guidonem*, debet inter ſingula puncta æquare latitudinem unius digiti, ſeu transverſi indicis 4. Ubi incipiendum facile colligitur ex ſententia *Guidonis*. Nam totus modus ſuendi dependet ex longitudine vulneris. Numerus enim digitorum ſemper uno ſuperet numerum punctorum, niſi vena, arteria, nervus, & tendo prohibeant. 5. *profunditatem* ſuturarum explicat *Celſus c. 26. L. 5.* Ubi enim vulnus eſt tranſverſum & profundum,

tunc altæ efficiendæ sunt suturæ, ita ut non solùm cutem, sed & carnem comprehendant, quò valentius hæreant, ne cutem abrumpant; ubi verò non est profundum, sufficit si modò cutem apprehendat. 6. denique *relinquenda* tamdiu sutura est, quousque unio seu glutinatio facta sit, quæ variat partim ratione magnitudinis, partim ratione constitutionis corporis. Variat quoque ratione temporis anni. Hyeme enim tardius, æstate & vere citius vulnera glutinantur.

Ferè tamen suturæ in magnis & transversis vulneribus septem, aut octo dies detinentur. In minoribus, ubi cutis tantummodò est vulnerata, sufficiunt tres, aut ad summum quatuor dies.

In facie, aut primo die, aut ad summum altero auferuntur suturæ, ne cicatrix suturarum indecora remaneat. Plura videantur apud *Hieronymum Fabricium ab Aquapendente lib.2.c.5.*

Περόνη ἀγκτὴρ FIBULA, tertii præsidii labra adducentis materia est, de qua *Autores* diversimodè sentiunt, cum earum materia & forma non satis ab antiquis descripta sit. Hinc *Oribasius cap. 4, lib. de machin.* ait fibulas fieri ex ære, ferro, auro, & habere formam circuli. Undè *Virgilius*

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Guido fibulas appellat hamos, qui debeant esse parvi, pro ratione membri, & ab utraque parte curvati, ut labio utrique infigantur. At tales aculeos pungentes infigere summè perniciosum. Undè hæc sententia falsa tanquàm reprobatur.

Omnem scrupulum è medio sustulit orbis literati decus Johannes Rhodius in illustri de *Acia ad Celsi mentem dissertatione:* Fit, *inquiens*, fibula perindè ac sutura ex aciâ seu filo intorto & acu. Utraque habet acum & filum: sed sutura utitur acu solum ad perforandum, filo ad suendum. *Fibula* verò acu utitur ad labia infibulanda, filo, ut labra ad fibulam hæreant.

Excipiuntur ab hac operatione vulnerum novem genera, quibus inconveniens & noxia, 1. Quandò vulnus angustum & profundum, ne superficie conglutinata interiora putrescant, 2. Quandò est cum deperditione substantiæ, tunc labia non attrahenda, sed caro deficiens per secundam intentionem regeneranda. 3.

da.3.ubi ab aeris ambientis inclementia alteratum, & per caloris nativi extinctionem corruptum fuerit. 4. Si cum contusione; expectanda enim est contusarum partium putrefactio.5.si tumor magnus aut inflammatio accesserit.6.Si dolor ingens adfuerit, ne malum malo augeatur.7.Cum venenatum vulnus & morsu animalium inflictum est, ne præcluso veneni exitu in profundis gangræna excitetur.8.ubi os denudatum simul aut fractum fuerit, ut in vulneribus capitis; frustula enim & squamæ osseæ à læso osse abscedere solent.9. Quando musculus aliquis per transversum dissectus fuerit, tunc enim ante ejus συσάρκωσιν cutis est consuenda, ne saniosa materia detineatur, vicinasque partes sub cute corrumpat.

GLUTEN inventum recentiorum est, & adhibetur iis præsertim in locis, in quibus cicatricum deformitas vitanda, aut ex suturæ puncturis convulsio metuenda est: Paratur autem variis modis, præprimis ex simplicibus astringentibus emplasticis atque viscosis, ut sunt, *ovi albumen, Bolus Armeniaca, sangv. drac. Thus pingve, sarcocolla, Mastix, Farina volatilis, Fuligo fabrorum, Gypsum, Corallium, Tragacanthum, Sangvis humanus, Resina pingvis.* Excipiens potest esse ovi albumen optimè subactum. v. g.

℞. *Bol. armen.*
sangv. dracon.
sarcocoll.
Ichthyocoll.
Farin. volatil. ā ℥ß.
album. ovi q. s.

M. F. *Gluten*, vel

℞. *Farin. volatil. Thur. ping. fl. ros. rubr.*
Sangv. human. exsiccati iterumque subtilissime pulveris. a ʒij.
Cum visco seu mucilagine Tragacanthi q. s.
M. F. gluten ad mellis consistentiam.

TURUNDÆ & PLAGULÆ in cæsim & punctim factis locum habent, modò siccæ modò humidæ, pro ratione scopi digerentis, mundificantis, exsiccantis &c. Cavendum tamen ne inde partis deformitas sequatur, dolor & gangræna excitetur.

Si gangræna vulneri superveniat, & membrum vulnera-

tum ſphacelo corripiatur, neque ab *aq. calcis vivæ* aliisque remediis ab adjectis cedat, cultro curvo & ſerra opus eſt. *Amputatio* autem in parte ſana tutior eſt quàm in corruptâ. Vide præcitatum *Aquapend. l. 2. Colcothar Helmontius commendat.*

Si hæmorrhagia immineat CAUTERIA *actualia* convenient. Videatur *Fienus* de cauteriis. *Potentialia* in antiquis & quæ cum ulcere ſunt quidam commendant, quæ tamen *ſuſpicionis* crimine non carent.

CAPUT X
AD
PHARMACEUTICUM APPARATUM progreditur.

UBerrimam PHARMACIÆ adeamus ſcaturiginem, plura eaque nobiliſſima & uſitatiſſima inde deprompturi medicamenta.

Diximus paulò ante communiter incipiendum eſſe à digeſtivis ſeu mundificantibus, incarnantibus, & cicatriſantibus: verùm cum iſta remedia tutò adhiberi ſæpè non poſſint, ad alia deveniendum:

Ex his ſunt 1. EVACUANTIA *univerſalia* cumprimis, *ſenſibiliter & inſenſibiliter* humores peccantes & curationem impedientes auferentia, quorum quædam quod eſt in primis vis reſpiciunt

LENIENTIA appellata. Servare enim alvum lubricam in omni morbo præſtat. Quod in vulnerum curatione quoque præcipit *Hippocr: lib. de morbis ſcribens*: quæ inſunt ex alvo per infuſum vel per medicamentum deorſum purgans exhibitum ſubducito.

Inter *ſimplicia* Noſtrates præſcribunt *Pruna dulcia, ol. oliarum, caſſiam, mannam..* Inter compoſita *electuarium, lenit Diaprun. laxativ. Diacathol. Roſat. Meſue. Decoct. ſpec. aperitiv. maj. mino. Fol. ſen.* cum *prunis* aut juſculo, quibus etiam *purgantia* propriè dicta in minori quantitate ſtimuli loco adjici poterunt.

℞. *Seri lactis caprin.* ℥vj. *ſpic. nard.* ℈j.
mann. calabrin. ℥ß. *flor. borrag.*

rha-

bugloss. ã p.ß. *rhabarb. elect.* ℈iv.
ftent in infuf. per noctem. Cras ebullitione cum expressione factâ

℞. *colatur.* ℥iij. adde *cinam.* f. v. ã ʒiij.
aq. borrag. *succ. citri depurati* ã ʒij.

M. pro hauftu.

Si clyftere opus

℞. *Rad. althaea.* ℥j. *sambuci.* ã. p.ij.
lil. albor. ℥j. *sem. lin.*
fol. malv. *fœnugraec.*
branc. ursin. *anis.*
parietar. *fœnic.* ã ʒij.
violar. ã. Mj. *caric. pingv.*
fl. chamomill. *prun. damasc.* ã. *par.* v.

Coq. in f. q. aquæ fontan. ad dimidiet. confumpt.

Colatur. ℞. ℥ix. adde *ol. lil. albor.* ℥jß.
Elect. lenitiv. ʒvj. *amygdal. d.* ℥ß.
benedict. laxat. ℥j. ⊖ ⏀ *depurat.* ʒj.

F. Clyfter.

PRÆPARANTIA in materiâ calidâ biliofâ tenui debent effe refrigerantia & incraffantia, ut unà humorum motum ad partem affectam impediant, non omnis aftrictionis expertia, quò fluxionem inhibeant.

℞. *Aq. lactuc.* *sir. de papav.* ℥ß.
burs. pastor. *nymph.* ℥j.
plantagin. ã ℥ij. *spir. aperitiv. Penot.* ℈ß.

M. F. potio pro ij. dofibus.

℞. *Sirup. de acid. citri.* *è succo. berber.* ã ℥jß.
mixtur. simpl. ℈j.

M. S. Dignftiv. Säfftlein oft zu gebrauchen.

PURGANTIA ad fangvinem biliofum, pituitofum, melancholicum peccantem dirigantur.

℞. *Rad. polypod. quern.* *borrag.* ã p.j.
scorzon. ã ℥ß. *spic.* p.jß.
fl. acac. p. ij. *sem. Fœnicul.*
violar. *anis.*

axis. ā ʒj
Fol. sen. Alexand. ʃʃ. ℥j.
Coq. in s. q. aq. agrimon. ad tertias.
Colatur. ℞. ℥vj. Adde *Sir. de rhabarbar. diasereos Andernac crem.* ♀ ℈ij. (ā. ʒvj.
M. F. potio pro duabus dosibus

℞. *Conserv. ros. rubr.* ʒj. ⊖ *absynth.* ā gr iv.
rad. gialap. pulverisat. ℈ß. *cum sacch.* q. s.
resin. scammon. M. Bolus. D. in charta.
S. purgierender rosen Zucker auff j. mahl

℞. *cryst all.* ♀ gr xv. *dacryd.* gr v.
Gialap. resin. ℈ß. *Elaeosacch. fœnic.* gr. ij.
M. F. Pulvis pro j. dosi.

DIAPHORETICIS DIURETICA substituimus, quibus ichores, qui in vulneribus persœpè redundant, à sangvine separantur, & per vias urinarias eliminantur. Sint partium non tam calidarum, quâm frigidarum, ut *portulac. lactucæ sem. melon. cucurbit, citrull.* Possunt etiam *Spiritus* minerales acidi ⊕. ♎. ⊕ *l. exhiberi*

℞. *sem. melon. excortic.* ℥ß, F. l. a. Emulsio, cui adde
papav. alb. ʒj. *ocul.* ♋ *præpart.* ℈ij.
aq. card. bened. *Ebor. præpar.* ℈j.
acetos. *manus Christ. perlat.* q. s.
rosar. ā ℥ij. ad edulcorationem
M. S. Kühlende schweis Milch auff 2. mahl.

II. ALTERANTIA majoris sunt considerationis, respiciuntque cùm vulnus à proprietate ipsum, tùm corpus, quod ab omni intemperie vindicari debent, tùm viscera principaliora, quæ roboranda sunt conservandaque.

Materia hujus præsidii nota est, exque *libris Practicorum* huc accersenda.

POTIONES VULNERARIÆ Chirurgis omnibus familiares. Harum efficacia à priscis non illaudata permansit, ceu videre est apud *Galenum 5. m. m.* & *Mesuem 3. Antidot c. 9. Johann. à Cruce, Pareum* & *alios*

Laudantur inter cæteras quæ ex *rubia majore, Symphyto, ped. columbini, plantagine, cannabi, brassica rubra, cariophyl. lata*

latâ, pimpinellâ, pilosellâ, verbenâ, centaurio, min. artemisiâ, ophioglosso, pyrolâ, betonicâ, veronicâ, aristolochia, sanicula, alchimillâ, herniariâ, scordio, millefolio, bolo armeniacâ, cancris fluviatilibus, lumbricis, spermate ceti, &c. componuntur, ea tamen lege, ne in principio ad sangvinem depurandum, arcendam putredinem, sangvinem concretum dissolvendum præscribantur, cum maxima horum ingredientium pars plerumque calida, sangvinem attenuare, inque partem affectam præcipitare possit. Itaque tantummodo locum habent, ubi nec febris adest, nec inflammationis in parte vulneratâ imminet periculum. *Helmontius* potiones vulnerum propter alkali virtutem prodesse, nec tàm materialiter, quàm radicaliter hoc præstare autumat. Sed sæpius potionum istarum vestigia manifestè quoad corpus, in vulneribus ostenduntur. *Vid. Tract. à sede animæ ad morbos.*

Johann. Crato in emporisticis ex margaritis, ocul. ♋, spodio præparat. pulverem conficit, quem miræ virtutis esse deprædicat. Quem etiam *Nobilissimus Dominus Præses, Præceptor & Promotor studiorum meorum ætatèm devenerandus*, sæpissimè summo cum fructu expertus est.

Videntur oculi ♋ singulari proprietate vulnera respicere, consolidando & à putredine vindicando.

Si radix primulæ veris sive herbæ paralyseos triduum ante novilunium effoditur, in umbrâ exsiccatur, postea verò patienti exhibetur in haustu cerevisiæ ad octiduum, vulnere deligato cum lardo puro & non rancido, brevi dierum spacio vulnus consolidatum iri, ex relatione Dn. *Præsidis*, cujusdam secreta jactantis empirici experientia adfirmavit.

Si *Symptomata* graviora viscera principaliora infestent, tunc eorum ratio quoque habenda erit.

ANIMALI VIRTUTI succurrit:

℞. *Aq. betonic.* *fl. til.*
lil. convall. c. vino. *verben.* ā ℥j.
specific. cephal. D. Michael. ocul. ♋. *præparat.* ā ʒj.
sir. de betonic. ℥iß.

M. S. hauptstärckender Hirn-Tranck uff etliche mahl.

VITALES reficit *Electuarium* sequens.

℞. *Conserv. rosar.* 🜕 *lat.* ℥j.
salviæ,
anthos ā ℥ß.
cortic. citr. condit.
aurant condit ā ʒß.
nuc. mosch. in India condit. ʒij.
spec. diatr. santal. ʒj.
cum sir. de berber. &
Tinct. violar. 🜕*l.* ā q. s.
F. l. a. Electuarium. D. in pyxide.
S. stärck-Zucker.

TOPICA, localia dicta, ne in volumen abeat labor noster, quæ *cor* & *jecur* defendunt, non omittamus, ex quibus ea attingimus, quæ partem vulneratam respiciunt. Horum quædam *inflammationi resistunt*, quædam *sanguinem supprimunt*, quædam *suppurationem* promovent.

I. INFLAMMATIONEM præcavent *Emplastra defensiva*, ex *Bolo Armen. sangv. Dracon.* cum *farinâ hordei*, & *ol rosat.* Nonnulli parti inflammatæ phlegma 🜕li recenter paratum cum aq. fl. sambuc. permixtum applicant. Vel

℞. 🜄 *cheræfol.*
hyperic. ā ℥iij.
scabios.
🜊 *rosac.* ʒij.

M. S. Wasser auffzulegen applicetur calidè cum linteis duplicatis.

II. ἴσχαιμα seu SANGUINEM SISTENTIA in omnibus vulneribus adhiberi debent, ne æger cum sangvine animam exhalet. Optimum est albumen ovi, vel totum ovum subactum, si dolor urgeat. Hoc excipitur stupâ vel gossipio. Si verò fluxus urgeat conquassetur cum aq. rosar. & admisceantur pulveres adstringentes ex bolo Armeniaca.

Alii ad imitationem *Galeni 5. Meth. med. c. 4.* spongiam ustam, aloen, thus, cum pilis leporinis & albumine ovi excepta commendant.

Omnibus desperatis conveniunt medicamenta ex opio, quod & *internè assumptum* vires suas huic scopo communicat. Ita Laudanum opiatum per acidos succos, vel spiritum vini paratum, si ejus grana ij. iij. sub formâ pilularum exhibeantur in cochl. j. aq. veronicæ, in momento, uti omnes alias evacuationes immodicas ita & hæmorrhagias sistere. solet Chimici è 🜕lo multa promittunt arcana specifica. Pertinet huc *usnea jaspis, hæmatites, radix cichor, alb. pila,* quæ in ventriculis Rupicapramur reperitur

III. GLUTINANTIA Græcè κολλητικά, debent esse actu & potentia sicca, *ut vinum austerum*, *thus*, *succus rosar. rubra. fl. hyperic. pulveres ex iride.* Emplastra ipsa dissoluta in melle conveniunt.

IV. ALEXIPHARMACA non omittenda, si malignitatis adest suspicio, quod ex causarum & symptomatum consideratione patescit, quæ tùm *internè* ratione totius, ne cor petant, tùm *externè*, ratione partis affectæ, applicantur. Talia sunt *Mithridat. Theriac. Andromach. aq. theriacalis*, *Quinta Essentia Matthiol. Lapis bezoar. Smaragdus orient. Terra Sigillata, Lemnia dicta*, *decoct: citri, radic. scorzoner. galega. scordium, ruta &c.*

℞. *Theriac. veter.* ʒß. ♁ *diaphor.* g viij.
Essent. fl. hyperic. ℈ß.
M. D. S. vermischter Theriack uff j. mahl.

℞. ▽ *galeg.* *C.C. philosoph. calcinat.* ʒj.
Cheræfol. ▽ *sigill. Turcic. veræ.* ℈ij.
hyperic. ā ℥iij. *sir. e succo scabios.* ℥j.
M. S. Wund-Tranck wohl umb zu rütteln uff 4. mahl.

V. SUPPURANTIA, parantur ex *therebinth. ovi luteo, thure, croco, ol. lil. alb. & rosar.* Eadem ratione

VI. MUNDIFICANTIA conficiuntur. si prædictis addatur *rad. aristoloch, ireos Florentin. apii*, misceanturque cum melle rosat.

℞. *Therebinth. Cypric.* ʒiij. *solut* ā ʒß.
thuris. *rad. aristoloch. rot.*
mastichis ā ʒiß. *ireos flor.* ā ℈j.
gumm. Elem. *cum melle rosaceo.* q. s.
ammoniac. in ✠ *rosar.* M. F. Mundificativum.

VII. AD CICATRICEM perducunt exsiccantia validiora, inter quæ *Tutia*, autore *Galeno 3. m. m. c. 6.* non ultimum obtinet locum. Adhibeantur in modicâ quantitate.

Cicatricem rubram corrigens optimum est *pingvedo humana, oleum de vitello ovorum.*

IIX. CARNEM superfluam auferunt *Ungvent. Ægyptiacum*, ☿ ius præcipitatus ruber, alumen ustum &c. Ad quod facit, si vulnus quotidiè deligetur & extergatur cotone, vel gossipio apici specilli obvoluto.

 EM-

EMPLASTRA in vulneribus magni æſtimanda; nam ex illorum cenſu ſunt quædam, quæ ſcopis omnibus ſatisfaciunt.

I. *Opodeldoch Paracelſi* dictum, quod à *Nobiliſſimo & Excellentiſſimo* Dno *Guernero Rolfincio Philoſoph. & Medicinæ Doctore P.P. & Archiatro Saxonico celeberrimo, Dno. Præceptore & Patrono meo omni obſervantiæ cultu proſequendo* auctum & emendatum prodiit.

II. STICTICUM *Crollii* in Baſilic. *Chym.* deſcriptum.

III. DIA♀RIS à *Rulando* introductum.

IV. *Emplaſtrum ſpermatis ranarum*, inflammationibus & doloribus ſedandis commodiſſimum, Chirurgi omnes norunt.

Balſamus ♀ris Rulandi pro ſingulari quoque ſecreto à nonnullis habetur in omnibus vulneribus.

Balſamus vulnerarius Crollii non infimum obtinet locum. Non prætereundus etiam eſt *Balſamus Hypericonis ſimplex & compoſitus*, cui magna vis ab omnibus in conſolidandis vulneribus adſcribitur.

CAPUT ULTIMUM
DIÆTAM
annectit, ſpeciminique huic colophonem imponit.

REſtat, ut viſis, conſideratisque iis, quæ ſunt p.n. *perque contraria auferuntur*, mentem noſtram ad ea quoque, quæ ſecundum naturam ſe habent, & per *ſimilia conſervari* deſiderant, dirigamus, in id omni ſtudio incumbendo, quò vires cùm totius tùm partium per commodam victus rationem integræ perſtent, aut ſi vim paſſæ, in priſtinum ſtatum reducantur.

Materia præſidiorum *Sex* ſunt Res, *Non Naturales* dictæ, quæ ſimiles ſint naturæ, diſſimiles morbo, in *quantitate, qualitate, loco, tempore, utendique modo* adcuratè dignoſcenda, ordinandaque.

AER ergò eligatur temperatus, ſique talis naturâ non ſit, arte paretur: fugiantque ægri frigidum, qui in vulneribus capitis præcipuè & nervorum, eſt noxius.

Helmon-

Helmontius, lunæ radii ſi illuxerint, difficulter ſanari vulnera, ſcribit. Sanè aeris inæqualis attactus vulnerum curationem moratur, à quo ſibi pariter Chirurgi inter deligandum ſollicitè cavere ſolent.

A CIBO & POTU ſi grave eſt vulnus, ſuaſu *Celſi c. 26. lib. 5. quantum* vires patiuntur, debet æger ſeſe abſtinere.

Marcus Aurelius Severinus Chirurg. Trimembris c. VI. eandem in vulneribus, uti in acutis morbis, victus rationem obſervandam eſſe admonet. Hinc materia alia eſt communis, alia propria, pro ratione vulnerum, partium affectarum &c: quam *vide ſis loco citato.* Proſunt aliquando ſorbilia, aliquando juſcula carnis, cremor hordei, &c.

In qualitate autem, victus ſit ἔυχυμος καὶ ἔυπεπτος, ut à calore debili facilius concoquatur. Vitentur aromatiſata, olera, allium, cepæ, piſa; immò ab omnibus abſtinendum, quæ humiditates augent, ut *caro ſuilla, columbina, anſerina, &c.*

Quidam præcipiunt vulneratis in principio danda eſſe ova, carnes perdicum, hædorum, pullorum, vinum potens, pro confortatione. Verum hi cibi nequaquàm conveniunt, niſi vires ſummè ſint proſtratæ, ita ut mortis immineat periculum.

POTUS *qualitate* ſit paucus, *quantitate* frigidus. Laudatur aq. hordei. Vinum ſit tenue, maximè ratione ætatis, ſymptomatum & exſolutionis virium, uti *Riolanus* exiſtimat.

Si quæritur, *quot diebus à vino in initio abſtinendum.* R. Si exiguum vulnus, ad triduum; ſi magnum ad 14.

VIGILIÆ vitandæ. SOMNUS ſit moderatus, *paucus* enim ſuccos acuit, *nimius* humectat.

A MOTIBUS ANIMI abſtinendum, præſertim ira, moeror, triſtitia, proſcribantur & cogitationes omnes profundæ longius relegentur. Nam ad inflammationes diſponunt, viresque abſumunt. Corpus ipſum potius quieſcat. Præcipuè pars affecta in mediâ figurâ locetur, ut pus & humores eò melius effluant.

EXCRETA quovis die ingeſtis reſpondeant, ſi verò alvus officii immemor, pilulis aloeticis & clyſteribus emollientibus ſui officii admonenda erit.

VENUS

VENUS licet exficcet, attamen propter nimium motum, & calidi nativi debilitationem, quam inducit, exulet ad tempus.

His probè obſervatis fine ſuo non facilè fruſtrabitur Medicus, dummodò, quod Arcanorum primum & potentisſimum eſt, non omiſerit preces ad DEUM fundere, ejusque opem implorare, Nam:

Ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis,
Quid rogo Dictamnus, quid panacæa juvent?

Et tantum, quod de Vulnerum in genere conſiderandorum *Diagnoſi, Prognoſi, & Curatione* ſpeciminis loco proferre, eruditorumquè cenſuræ, ex decreto *Illuſtris & Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ*, offerre debui. Non me latet, neminem mortalium eſſe, quem non aliqua pars ignorantiæ attingat, & hanc contagem ex ipſa mortalitate nos traxiſſe. Quapropter, quæ forſan ex imbecillitate judicii arduâ hâc in materiâ ſunt commiſſa, candidus atque benevolus Lector in meliorem interpretabitur partem, optimè memor: *in re difficili, non qui ad ungvem ſatisfecerit, ſed qui voluerit, ſatis cumulatè feciſſe.*

S. D. G.

CLARISSIMO

DNO THYMIO

de ſplendidis ſtudiorum medicorum progreſſibus, & titulo

LICENTIATI

propediem conferendo gratulatur

Guernerus Rolfincius D.

QUid tibi, quidque tuo titulo, THYMÆE, precabor?
nil reor ulterius; quam fauſtum ut principium adſit, & me-

& medium faustum, cedantque nec ultima primis.

Vade bonis, avibus, peregrinas visere terras
cura sit: omne solum sit patria, spontè favore
quæ merito te complectetur, congrua reddens
præmia, quæ virtus nec non doctrina merentur.

Ulnera vulneribus curantur. Utrumque quod artis
esse solet doctis pagina docta docet.
Nec linguâ morbi vincuntur. Nonnè medelam
elingvis melius cum ratione facit?
Sed mea non sunt verba, THYMI, Celsina vocantur,
quæ scribo, & meritis confero vota Tuis.

Candidato Medicinæ dignissimo
Veterum formulâ
FELICITER!
acclamat

PRÆSES.

IN bello fortem qui sese præstitit olim,
Iste tulit palmam, nec non præconia famæ:
Sic & qui studiis juveniles destinat annos,
Præmia virtutis, sudore parata, reportat.
Talia nunc pariter TIBI, Sympatriota colende!
Apprecor ex animô, cœptum Deus ipse secundet.

Gratu-

Gratulor ergò novum lætô Tibi pectore honorem,
Det Deus, ut posthâc semper tua gloria crescat.

Hæcce Clarissimo Dn. Doctorando, Amico & Conterraneo suo plurimùm honorando gratulabundus apponere voluit, debuit

Johannes Fridericus Brückner/
Gvalteropolitano-Thuringus.

F*Elix ille Parens, & terque quaterque beatus,*
Qui sobolem Musis mancipat atque dicat.
Filius est felix, & summâ laude ferendus,
Qui studiis clarat seque suumque Patrem.
Id verè fecit Clarissimus ille Magister
Thymius, & gnatus præstitit hoc itidem.
Hinc specimen præsens ipsi largitur honores
Magnos, ac ornat nomina clara Patris.
Artis Pœoniæ sis porrò minister, Amice!
Fidus, tunc ægris dulce levamen eris.

Ita novos Clarissimi Dn. Doctorandi HONORES, Fautoris atque Amici sui Honoratissimi, debito cultu excipit, eique ex animô gratulatur

Johannes Christophorus VVexius.